



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 53. Inauguratio Maximiliani

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.
A.C. 1486.

cipum Oratoribus, dignationis, locique prærogativam deberi contenderet; ast lite in publico Purpuratorum Senatu proposita decisum, nihil immutandum esse, donec Maximilianus missis Romam legatis obsequium præstitisset, ac pro Electo Romanorum Rege habitus fuisset; cum enim Wladislaus Bohemiæ Rex Francofordiensibus comitiis absens imo nequidem ad ea vocatus fuisset, & aliunde eum cum Friderico similtates fovisse constaret, eoquod Cæsar Bohemo quodcunque auxilii genus denegasset, foedusque cum Hungariæ Rege sanxisset; ideo haud temere suspicabantur quam plurimi, Wladislaum Maximiliani Electioni oblectaturum.

§. LIII.

Inauguratio Maximiliani.

*Freher. to. 3.
rer. Germ.*

Reapse Bohemiæ Rex se ad Comititia haud invitatum fuisse, ægerrime ferebat, ac se hoc pacto neglectum graviter conquestus est apud summum Pontificem, ab eoque petiit, ut S. R. I. Electoribus scriberet, ne illum suo jure privarent; verum insuperhabitis hisce querelis Maximilianus in Regem Romanorum eligebatur, ejusque ultima coronationis solemnia celebrata fuere Aquisgrani die nona Aprilis, ibidemque Archiepiscopus Colo-

Coloniensis pro jure sibi competente Regem corona Caroli Magni insignivit. Postulabatur etiam ad firmandam hanc electionem Innocentii summi Pontificis consensus, qui electionem, cum de Maximiliani obsequio abunde certus esset, ratam habuit, datisque ad eum festivis literis dignitatem gratulatus est. Alia etiam epistola Pontifex Friderico Imperatori ingentem testatus est animi sui lætitiā, ex fausto conceptam nuncio, quod in Filio suo tam dignum sibi successorem nactus esset.

Secul. XV.
A. C. 1486.

§. LIV.

Lex de pace Germanicæ.

Post hæc Fridericus, & Maximilianus, Electoribus, atque Imperii ordinibus communi voto suffragantibus, legem tu-
 lere de tuenda pace publica, quam per universum Imperium solidos tres annos inviolabili fide servandam sanxerunt. Eo consilio ad omnes suos subditos de colenda tranquillitate mandata dederunt, pacisque violatoribus, cujuscunque status ac conditionis forent, si non legibus, sed ferro, ac privata vindicta jus quærere præsumerent, poenam proscriptionis a toto Imperio intendarunt, declarantes, eidem supplicio obnoxios fore, qui consilio vel opera ad violandam pacem

*Novcler. to. 3
general. 50.
p. 503.*

Hist. Eccles. Tom. XXX. X con-